

n. 118, 15

ANTIQUITATES
COBURGENSES

II
Yc
1949

STRICTIM EXPONIT

ATQVE
ORATIONEM
SOLEMNEM
IN
MEMORIAM
NATALIS CLVI
ILL. GYMNASII CASIMIRIANI
ACADEMICI

H. L. Q. G.

HABENDAM

INDICIT

M. IOANNES FRID. GRVNER

ELOQUENTIAE P. P. O.

ATQVE ALVMNORVM INSPECTOR.

COBURGI
EX OFFICINA FINDEISENIANA.





§. I.

Germaniae tractus, ubi iam Principatus Coburgensis est, antiquam conditionem, qualem quidem diligenter rimando omnia, quaecunque ad illustrandam eam facere posse videbantur, effingere animo valui, breuiter strictimque exponere aggredior: impeditum opus, et propter monumentorum, quibus niti possim, penuriam, admodum difficile. Coniecturis enim in plerisque agendum est, quaerendumque id, quod maxime videri possit probabile. Hanc igitur veniam non peto solum, sed daturos etiam facile lectores non iniquos spero; ut si quid a me minus recte dictum in rebus tam obscuris, deprehenderint, illud omne iuuandi historiam patriam voluntati optima condonent. Subsistet autem oratio, ubi ea tempora attigerit, quibus Coburgum nostrum in Comitum de Henneberg ditionem concessit. Quo modo deinde transierit ad *Brandenburgenses* ^{max. redierit ad Brandenburgenses}; denique ad Gentem Serenissimam *Saxonicam*, quam Deus seruet! peruenerit; dicetur, si visum supremo rerum humanarum rectori fuerit otium nobis ac vitam concedere, alio tempore vberius.

§. II.

Vrbem, quae totius Principatus caput est, sub *Melocabi* nomine apud PTOLEMAEVM latere nonnulli crediderunt: ingeniose magis, quam vere; uti mihi quidem videntur. Fuit in his b. 10. FR. CHRISTIVS *a*), optimarum literarum magnum nuper decus. Nimirum vir patriae amantissimus optabat illam antiquitatis gloria excellere. Certius est, vetustum nomen *Trufalifst* fuisse; quod nomen quo auctore cl. FRID. ZOLLMANNVS in Ducatus Saxoniae Superioris tabula geographica, statum eius antiquissimum per saecula decem priora exhibente, *Tracbalifstet* scripserit, ignorare me fateor. Charta anti-
qua

a) Vide eius *Alabastron Philosoph. sine litteris* caet. Lipf. 1748. 4. p. XXIII.

qua anni **CIOCCVII.** vel potius, vti indicio *quarta*, et annus pontificatus *Honorii Papae primus* scribere nos iubent, **CIOCCXVI.** apud **b. G. P. HOENNIUM b)**; *in vniuerso burgo Choburg, quod antiquitus dicebatur Trufaliflat.* Qui autem ex terminatione *stat* argumentum pro vrbis antiquitate petere non dubitant *c)*, vicorum, qui haud procul absunt, appellationibus, *Gross* et *Klein Garnstat, Gauerstat, Schoenstet, Gratstat, Bockstat*, arguuntur. Quae iam vrbs est, vicus sine dubio fuit, Carolingorum, et forasse superiore etiam aetate: nam de initiis loci quod dicam, non habeo. *Coburgi* nomen castro, in monte posito, proprium olim fuit: deinde, vbi *Trufaliflat* vicus, ad montis radices situs, ciuitatis iura acceperat, huic quoque inditum. Id quo anno factum sit, definire non audeo. Tamen **b. ALB. MEN. VERPOORTENNIO d)**, doctissimo olim et bene de patria merito viro, assentiri non possum, qui ab *Henrico Aucupe Rege* ciuitatis ius consecutum esse suspicabatur. Nam anno **CIO LXXV.** vicum fuisse, et antiqua appellatione *Trustelstat*, siue *Trufaliflat* dici consueuisse, diploma *Adelberonis* me docuit, Episcopi *Herbipolensis*, quod **b. G. P. HOENNIUS e)** edidit. Ibi enim *Trustelstat* inter vicos recensetur, et a *Coburg* distinguitur. Idem vir doctus protulit quidem chartam veterem, retulitque ad annum **CIOVIII. f)** in qua op-

A 2

pidi

- b)** In der *Sachs. Coburg. Hist. B. II. p. 14. sqq.* Ibi *burgum de oppido* dicitur. Vid. **DV FRESNE Glossar. Med. et Infim. Latinit.** hac voce.
- c)** **b. G. P. HOENN. l. c. B. I. Cap. XXX. p. 187.**
- d)** Praefat. ad **b. IO. CHRISTI. THOMAE** librum, *Das der ganzen Evangel. Kirchen, infonderheit in dem gesammten Fürstenthum Coburg aufgegangene Licht am Abend,* p. LVII.
- e)** **l. c. B. II. p. 8.** ibi: *Vullebab, Crudeliz, Kezendorff, Trustelstat, Kurtindorff.* inter testes autem subscripti *Gerhardus, Aduocatus in Coburg.*
- f)** **l. c. B. II. p. 3.** charta est *Iohannis Schott, Canonici et Archidiaconi ecclesie Herbipolensis, Reuerendissimi in Christo patris et Domini, Domini Laurentii, Episcopi Herbipolensis ac Franciae Orientalis Ducis in spiritualibus Vicarii: dat. Herbipoli anno, vti scriptum ibi est, Domini millesimo octauo.* Conceditur autem illis literis *Henrico Kircheym prepositura siue parochialis ecclesia oppidi Koburg Herbipolensis dioecesis monasterii S. Petri in Salueld ordinis S. Benedicti Moguntinensis dioecesis incorporata et annexa.*

pidi Koburg mentio fit. Sed satis multa, satisque perspicua indicia sunt, quae anno **CIOCCCCXCVIII**. exaratam esse, dubitare nos plane non sinant *g*).

§. III.

Castrum *Coburg* iussu *Henrici Aucupis*, Germaniae Regis, a *Cobbone* Comite quodam et exstructum, et indeptum nomen esse, b. parens meus censebat; cui cum omnia, quaecumque patri pio et indulgenti debere filius potest, tum harum etiam literarum amorem debeo. Atque haec parentis coniectura magnam habere probabilitatis speciem visa mihi semper est. Nam *Cobbonem* Comitem inter *Henrici* Regis amicos fuisse, foederis tabulae planum faciunt, inter hunc Germaniae, et *Carolom*, Galliae Regem, ad Rhenum, prope Bonnam, anno **DCCCCXXI**. initi; quas post **SIRMONDVM**, **QVERCETANVM**, **MIRAEVM**, **SCHILTERVS** *b*) et **GVNDLINGIVS** *i*) ediderunt. *Cobboldurg* autem in *Coburg* facilis mutatio est. Denique ante *Henrici* tempora castrum illud non fuisse, vel inde fieri probabile putato; quod plane non apparet, quo modo Sorabi, si iam aedificatum fuisset, tam prope circa illud, tantoque numero considerare potuissent; quanto confedisse, vicorum, partim in ditione hodie Coburgensi, partim in vicinia sitorum, nomina, *Crudelitz*, iam *Creidlitz*, *Modlitz*, *Wyndisch Eynbergk* hodie *Einberg*, *Heubisch*, *Mierschnitz*, *Mitwitz*, *Teuschnitz*, *Redwitz*, *Schwir-*

g) Vt taceam, cognomina, *Iohannes Schott*, *Henricus Kircheym*, *Georgius Weichemann*, quae ibi occurrunt, item titulum *Reuerendissimi in Christo Patris et Domini, Domini - Franconiae Orientalis Ducis*, et alia, quae hic referre longum foret, docere b. **HOENNIVM** debuisse, literas anno **CIOVIII**. scriptas non esse: Praepositura Coburgensis ad monasterium S. Petri in Salfeld pertinens, tempus post donationem *Richezae* Reginae, factam anno **CIOXVI**. atque exstructionem monasterii Salfeldensis, conditi anno **CIOXXIV**. indicat. *Lawentius* denique, Episcopus Herbipolensis, ad dignitatem illam euectus est anno **CIOCCCCXCV**. vid. **IO. REINHARDI** *Witzb. Chron.* apud. **IO. PETR. LVDEWIG**, *Geschichtschr. von dem Bisthoffs. Witzb.* p. 866. sqq. Vt manifestum sit, in numeris exaratum esse, referribique in diplomate illo oportere **CIOCCCCXCVIII**.

b) *Instit. Iur. Publ. Rom. Germ.* Tom. II. p. 75.

i) *Lib. Sing. de Henrico Aucupe, Fr. Or. Saxonumq. Rege*, p. 301.

Schwirbiz, quae aperte Sorabiam originem produunt, satis indicant. Et a Moeno flumine Salfeldiam vsque incoluisse barbaros illos, aliam obseruarunt *k*). Gentem, quam Reges superiores fregerant aliquoties, opprimere non potuerant, *Henricus* debellauit; atque non tributum soluere solum, sed sacra etiam Christianorum securitatem promittere coëgit *l*). Quo maiorem autem Germaniae securitatem praestaret; pluribus eam urbibus et castellis non contra Slauos minus, quam aduersus Hunnos, cum quibus illi crebro conspirauerant, munuit. *Misniam* certe contra *Milzenos*, Slauiam nationem, aedificasse legimus, ut subactos tributum soluere cogeret *m*). Hac nostra igitur in regione, quam Sorabi ad Moenum vsque infederant, et ubi facillime iungere se cum Bohemis poterant, castrum nullum condidisse putandus erit? Sed haec monenda fuerunt, ut rationem eorum redderem, quae supra scripseram, b. parentis mei coniecturam de *Coburg* castro *Henrici Aucupis* iussu aedificato, admodum mihi verisimilem videri. Iam quos Coburgum nostrum ab antiquis inde temporibus Principes habuerit, dispiciamus.

A 3

§. IV.

- k*) Vid. CASP. SAGITTARIUS, *Antiquit. Ducat. Turing.* B. IV. Cap. XX. §. VI p. 299. BVRC. GOTTH. STRVV. *Prodrom. Hist. Graesenthal.* §. XI. p. 9. sq. b. ALB. MEN. VERPOORTENNIUS, *Progr. de Salfeldiae Initiiis*, §. II. not. e). In Traditione Fuldensi, ann. DCCCXXIV. apud IO. FR. SCHANNAT, *Corp. Traditt. Fuldens. n. cccliii.* p. 145. occurrit villa, quae vocatur *Thurpsilun*, iuxta ripam fluminis *Moin*, in Regione *Slauiorum*. Illud *Thurpsilun* hodie *Doerfles* dicitur, prope *Babenbergam*.
- l*) HELMOLD. *Chron. Slauior. Lib. I. Cap. VIII.* p. 544. Tom. I. *Scriptt. Rev. Brunsv. LEIBN.* At vero *Henricus Rex-Vngaros* quidem maximis proeliis vicit et triumphauit, *Boemos* et *Sorabos*, ab aliis regibus edomitos, et caeteros *Slauiorum* populos, vno grandi proelio ita percussit, ut caeteri, qui perpauci remanserant, et Regi tributum, et Deo Christianitatem vltro promitterent. Eadem habet ALBERT. *Stadens.* ad ann. 921. p. 212. *Scriptt. Rev. Germ. RVLPI.*
- m*) DITMAR. *Merséb. Lib. I. p. 327.* apud LEIBN. *l. c.* Hic (*Henricus*) montem vnum iuxta *Albim* positum, et arborum densitate tunc occupatum excoluit, ibi urbem faciens. Cui de riuo quodam, qui in septentrionali parte eiusdem fluit, nomen *Misni* imposuit, praesidiis et impositionibus caeteris munuit. Ex ea *Milzenos* suae subactos ditioni, censum persoluere coëgit. Vide etiam ANNALIST. SAX ad ann. 922. Tom. I. *Corp. Historicor. Med. Aeu.* IO. GE. ECCARDI, p. 247. et CHRON. VEI. DVCVM BRVNSV. ET LVNEB. apud LEIBN. *l. c.* Tom. II. p. 14.

§. IV.

Sub Carolingorum imperio, atque sequentibus illud temporibus Comitum quaedam gens in Germania floruit, diuitiis non minus, quam nobilitate insignis *n*); cuius princeps *Poppo*, imperante *Ludouico Pio*, vniuerso pago *Grapsfeld* solus praefuisse 10. FR. SCHANNATO *o*) visus est. *Is Poppo* filios duos genuit; *Popponem* Thuringiae et limitis Sorabici Ducem, a quo Comites olim de *Wimar* et de *Orlamund* orti; atque *Henricum*, Marchionem et Ducem Francorum. *Henricus* filios hic nobis memorandos *Adelbertum* habuit, anno DCCCCVIII. *Ludouici Infantis* iussu supremo supplicio affectum, Marchionum Ducumque Austriae veterum parentem; atque *Henricum*, anno DCCCCII. occisum. Huius *Henrici* filii *Bertboldus* et *Otto* fuerunt. Ille *Henrici Suinfurtensis*, et *Burhardi*, Ratisbonensis Burggrauii, a quo Comites de *Wolfesbach* *p*) descenderunt, auus; hic generis Comitum de *Henneberg* auctor fuit. Eam gentem igitur inter plurima, quae possedit, bona, *Coburgum* etiam nostrum ab antiquissimis inde temporibus tenuisse, communis fere opinio est; etsi, quibus ea placuit, non vnam omnes eandemque in exponenda illa ornandaque rationem sequantur. GE. PAVL. HOENNIUS *q*) *Popponem*, quem supra diximus, *Henrici* fratrem, et quem ille Dominum de *Henneberg* appellat, Thuringiae et Sorabici limitis Ducem, ob res aduersus Sorabos praeclare gestas, *Coburgenses* terras perpetuo possidendas, et ad haeredes transmittendas a *Ludouico Iuniore*, Rege, accepisse suspicatur. CHRISTI. SCHLEGELIUS *r*) paruisse *Coburgum*

n) Vid. 10. GE. ECCARDI *Hist. Geneal. Principp. Saxon. Superior.* p. 237. sqq. et in *Praefat.* p. II. sqq. *Stemma* ibi ab ECCARDO p. 23. delineatum emendare studui in *Diss. de Henrici Min. adu. Ottonem II. Imp. rebell. genere*, §. XII. sqq. in *Opusc. ad illustr. bistor. Germ. pertin.* p. 108. sqq.

o) *Buchon. Vet. Cap. VII.* p. 390. vbi calami errorem puto, quod *Carolum M.* pro *Ludouico Pio* scripsit vir doctus.

p) Vide, quae diximus in *Diss. de Instaurat. monast. Ord. S. Bened. in Bantz*, §. XI. in *Opusc.* modo cit. p. 242.

q) *l. c. B. I. Cap. II. §. 9.*

r) *De numis ant. Gothan. Cygn. Coburgens. caet.* p. 170.

gum cum monte antiquitus Germaniae Regibus, deinde Comitibus de *Henneberg*, dubio carere pronunciat: sed montem, siue castrum, cum monasterio, templo, et bonis ad illud pertinentibus, ab *Henrico Sancto*, Imperatore, *Henrico V.* Comiti Palatino, et Marchioni, ita *Henricum Suinfurtensem* appellat, vbi ille aduersus Imperatorem rebelaret, ademptum, donationis iure ad *Ottonem*, Comitem Palatinum Rheni, et deinde Sueviae Ducem, ab hoc autem ad *Richeram* sororem, *Miecislai II.* Regis Poloniae, viduam peruenisse censet. Beatus, est post cineres etiam pie venerandus parens meus non putabat *Suinfurtensi Henrico* Coburgum ab *Henrico* Imperatore ereptum esse: potius haereditatis iure ad *Henrici* filium, *Ottonem s)*, qui Sueviae Dux fuit, transisse; et quum hic anno *c10LVIII.* filio nullo relicto, de vita decederet, terras Coburgenses *Burchardi*, fratris *Henrici Suinfurtensis*, posteros agnationis iure occupasse. Horum vltimum *Eccardum* fuisse, anno *c10CCII.* occisum *t)*: atque post huius necem haereditatem eius Comites de *Henneberg*, et de *Wildberg*, vt gentiles, inter se diuisisse suspicabatur. Caeterum terras Coburgenses ad limitem Sorabicum pertinuisse, atque Ducis eius, deinde Marchionum et Landgrauiorum Thuringiae curae commendatas fuisse; arcem Regis, terram Comitum fuisse, censebat: arce deinde ab *Henrico Sancto Exoni*, Comiti Palatino, donata, Comites eius Burggrauios factos esse. Beatus ALB. MEN. VERPOORTENNIUS *u)* quod *Henricum Sanctum*, Imperatorem, montem Coburg cum monasterio, templo, atque possessionibus reliquis *Henrico V.* Comiti Palatino, et Marchioni, ablatum, *Exoni*, Palatino Rheni, aut filio eius *Ottoni* concessisse scribit, SCHLEGELIVM sequitur. Illud peculiare habet, quod terras Coburgenses ineunte demum saeculo decimo tertio Comites de *Henneberg*, supremos dominos nactas esse, ante istud tempus in Ducum, Marchionum, Land-

s) Emendandus CYR. SPANGENBERGIUS, qui in *der Henneberg. Chron. B. I. Cap. XXXIII.* p. 128. *Ottonem Suinfurtensem* filium *Henrici* fuisse ignorans, errorem haud leuem admisit.

t) Vid. CHRON. MONT. SEREN. p. 72. ed. Mad.

u) In Praefat. ad b. THOMAE supra laudatum librum, p. LIX.

Landgrauiorum Thuringiae ditione fuisse censet x). Putat nimirum, turbulentis temporibus, quibus Germania, et Thuringia maxime, *Philippo Sueuo, Ottone IV. Saxone, et Friderico II.* de imperio inter se vi et armis decertantibus, mala maxima perpeffa est, hanc cis sylvam Thuringicam regionem ab vno aliquo ex nominatis modo Imperatoribus *Hermanno* Landgrauio ablatam forte, atque Comitibus de *Henneberg* concessam esse. Inde autem orta circa annum c10ccx. certamina inter Barones terrae et Comites de *Henneberg* suspicatur; quod illi fide, qua obstricti Landgrauio Thuringiae essent, decretis Imperatoriis non satis se liberatos crederent. Tandem pactione diffidorum inter Landgrauium et Hennebergenses finem impositum videri: *Iuttam, Poppo- nis XIII.* de *Henneberg* vxorem, *Ludouici* Landgrauii sororem, omni iure, quod in bonis dotalitiis et paraphernalibus, in Misnia et Osterlandia sitis, sed a fratre haftenus detentis, haberet, se abdicasse; Landgrauium terris Coburgensibus cessisse, ea tamen lege, vt post *Juttae* mortem ad eius posteros transirent.

§. V.

Sequitur, vt quid de his doctorum virorum coniecturis iudicandum videatur, exponam. Ad b. HOENNII igitur opinionem quod attinet, a *Poppone* illo terrae Coburgenses, si possedisset, ad Comites de *Wimar* et de *Orlamund*, quorum ille parens fuit, non ad Comites de *Henneberg*, qui a fratris nepote, *Ottone*, descenderunt, peruenire potuissent: nam quod *Popponem* etiam in familiam *Hennebergensium* inserit, in eo errat sane vir doctus, CYR. SPANGENBERGIUM y) secutus. Ea enim aetate, qua *Poppo* ille vixit, *Hennebergenses* nulli erant.

§. VI.

SCHLEGELIVS quod *Henricum Suinfurtensem* Comitem Palatinum dicit, quid velit sibi, non video: quod *quinti* nomine insignit,

SPAN-

x) *Ibid.* p. LXVII. fgg.
y) *l. c.* B. I. Cap. XVII.

SPANGENBERGIUM auctorem habet, qui *Henricum* illum erronee inter *Hennebergenses* retulit z). Sed *Suinfurtensem Henricum* tenuisse castrum Coburg cum monasterio, templo, et bonis ad illud pertinentibus, probandum ante erat doctissimo viro, quam ereptum illi ab *Henrico Sancto* esse, affirmare debebat. Monasterium eo iam tempore Coburgi fuisse, quo auctore ille scripserit, ignorare me fateor. Mihi certe diligenter de eo quaerenti nihil obuium fuit, vnde licuerit tale quid suspicari. Narratio autem de donatione *Otoni* Palatino facta nullo idonei alicuius scriptoris testimonio nititur. Nam SEB. GLASER, ad quem CAR. LVD. TOLNER, a), qui eandem de Coburgo opinionem sequitur, prouocat, in historia Hennebergensi recentiore magnam; in antiquis temporibus, nisi testibus idoneis suffultus, nullam merere fidem videtur. Et quis esse credibile dixerit, *Henricum Sanctum* anno 1111. in quem annum *Henrici Suinfurtensis* rebellio incidit, Coburgum *Otoni* Palatino donasse, nondum duodecim annorum puero b), et propter aetatem teneram nullis omnino in Imperatorem aut Imperium meritis conspicuo? Quod *Richeza*, *Otonis* soror, his in regionibus possessiones eximias habuit, quas illa *Annoni* deinde, Archiepiscopo Colonienfi, hic vero monasterio Salfeldenfi permisit; id quidem opinionem de donatione *Otoni* Palatino facta non iuuat. Potuit enim quidquid *Richeza* Regina *Annoni* Archiepiscopo tradidit, ex haereditate materna ad ipsam, vel etiam ad *Otonem* fratrem, ab hoc autem ad Reginam peruenire. Nam valde verisimile videtur, quod GODEFR. GVIL. LEIBNITIVS c) affirmare non dubitauit; possessiones, quas *Richeza* Regina *Annoni* Archiepiscopo dedit, matrem eius *Matbildem*, quam *Ezoni* Palatino nuberet,

B

ab

z) *Ibid.* Cap. XXXIII.

a) *Hist. Palat.* Cap. II. p. 28.

b) Nam pater eius *Ezo* anno 1111. *Matbildem*, sororem *Otonis* III. Imperatoris, uxorem duxerat, ex qua *Otto* natus. Neque vero primogenitus ille fuit: *Ludolphus* frater enim maior natus. Vid. MONACH. BRUNWIL. apud LEIBN. l.c. Tom. I. p. 316. TOLNER. l.c. et GE. CHRISTI. IOANNIS, *Append. Pr. ad Parei Hist. Bau. Palat.* p. 421. et 423.

c) *Introduct. in Collect. Scriptt. Hist. Brunsv. Inscruiet. n. XXVII.*

ab *Ottone III.* fratre dotis nomine accepisse: nisi quod duplicem vir olim summus errorem admisit. *Ottonem* enim forori Salfeldiam et Coburgum vrbes cum aliis vicinis locis dedisse opinatus est: quod verum omnino non est. Salfeldiam ab *Ottone III.* Imp. *Matbildis* non accepit; sed *Ezo*, maritus eius, ab *Henrico Sancto d)*: neque vero urbem Salfeldensem, quae ad tempora vsque *Philippi Sueui* et *Otonis IV.* Imperatorum villa regia fuit e); sed castellum Salfeld, cum bonis ad illud pertinentibus f). Ad Coburgum quod attinet, praediis et possessionibus aliis hac in regione *Matbildis* ab *Ottone* aucta est: castrum accepisse non videtur; urbem non potuit, quae, vt supra dixi g), vrbs ea aetate nondum fuit. Castrum Coburg ex donatione *Otonis* ad sororem non peruenisse, inde colligo, quod feuda castrensia, ad Coburgum pertinentia, quorum plura in Vrbario Hennebergensi, anno *MDCCCXVII.* composito, occurrunt, in monumentis antiquis, ex quibus intelligi potest, quae bona ex possessionibus *Richezae* Coburgensibus ad monasterium Salfeldense peruenerint, non nominantur. Neque vero in aliis monasterii Salfeldensis veteribus monumentis vestigium vllum possessi vnquam aut amissi castri Coburgensis. *Capellam* in castro Coburg, quae olim ad monasterium Salfeldense pertinuit, *Richezam* iam habuisse, consentaneum est. Sed quo magis de possessionibus *Richezae* his in regionibus constet, colligemus ex chartis antiquis, quae huc facere videri possunt. Anno Archiepiscopus in diplo-

d) CHRON. REG. S. PANTALEON. ad ann. 1011. apud ECCARD. l. c. Tom. I. p. 899. sq. Vid. etiam TOLNER. l. c. Cap. II. p. 27.

e) CHRON. SAMPETRIN. ERFVRT. ad ann. 1199. apud MENCK. *Scriptt. Rer. Germ.* Tom. III. p. 234. et ad ann. 1204. p. 235. *Addit. ad LAMBERT. Schafnab.* ad ann. 1204. apud PISTOR. *Scriptt. Rer. Germ.* Tom. I. p. 430. ed. Struu. PAUL. LANG. *Chron. Citizens.* ad ann. 1199. *ibid.* p. 167.

f) In diplomate *Annonis*, Archiepiscopi Colonienfis apud TOLNER. *Cod. Diplom. Palat.* p. 29. n. XXXIII. et apud. b. HOENN. in der *Sachs. Coburg. Hist.* B. II. p. 6. dicitur *Richeza* tradidisse *Saluelde castellum cum omnibus et vniuersis ad hoc pertinentibus terris et syluis, forestis atque piscationibus, pratis, pascuis, et familiis, et quicquid ipsa proprietate habere visa est.* Vide etiam CHRISTI. SCHLEGELIVM de Num. ant. Goth. Cygn. Coburg. caet. p. 171. b. ALB. MEN. VERPOORTENIVM, *Progr. de Salfeldiae Initiis*, §. VI. not. c).

g) §. II.

diplomate quodam *b)*, quo acceptio traditionis regiae continetur, fatetur se occasione data *Richezæm Reginam super quibusdam prædiis Salefeldt videlicet et Koburg*, quatenus de his precariam consentiens ea *S. Petro Colonie traderet, conuenisse*. In bulla, *Honorii Papæ II. anno c10cxxvi. monasterio Salfeldensi concessa i)*, legimus ista: *Montem qui dicitur Koburg, cum omnibus prædiis ad eum pertinentibus monachi Salueldenses possideant*. Per montem *Koburg* ecclesia in monte intelligi debet: quod non mirabuntur, qui dicendi genus, quod in mediis æui chartis obtinet, non ignorant. *Praedia* ad Ecclesiam illam pertinentia sunt, quae ex traditione, a *Richeza Regina Annoni Archiepiscopo* facta, ad monasterium Salfeldense redierunt: non quod omnia antiquitus, sed quod ex eo certe tempore, quo ecclesia ista cum reliquis *Richezæ* possessionibus Coburgensibus ad monasterium Salfeldense peruenerant, ad illam pertinerent. Ea autem prædia ubi sita fuerint, discimus ex diplomate *Adelberonis, Episcopi Herbipolensis k)*. Ibi nominantur *Vullebach, Crudeliz, Kezendorff, Trufelstat, Kurtindorff, Sitbmansdorff, Luter, Miersdorff, Aborn*: non quod vici integri intelligi debent, sed villae singulae, decimae, syluae, feuda. Sed haec haftenus.

§. VII.

Venio ad b. parentis sententiam: quam diuido. Tractum Coburgensem ad limitem Sorabicum pertinuisse, atque in Ducis eius, deinde Marchionum et Landgrauorum Thuringiae tutela fuisse, plane assentior. Concedo etiam, castrum antiquitus Regis fuisse: sed ab *Henrico Sancto* concessum *Ezoni* Palatino, atque ab hoc terrae Comites constitutos ibi Burgrauios esse, persuadere mihi non possum. Successio *Burchardi* posterorum ann. c10lviii. et deinde *Hennebergensium* et *Wildbergiorum*, ann. c10ccii. opinione nititur, Coburgum, et, uti olim dicebatur, *Trufalifstat*, cum prædiis ac bonis aliis, in gentis eius, de qua supra dixi, possessionibus antiquis fuisse. Comites de

B 2

Wol.

b) Apud TOLNER. et HOENN. II. cc.

i) Apud CHRISTI. SCHLEGEL. de Num. Salfeldens. et HOENN. I. c. p. II.

k) Apud HOENN. I. c. p. 8.

Wolfesbach, qui e *Burchardi* posteris fuerunt; item Comites de *Wildberg*, his in regionibus bona insignia tenuisse, certum est. Sed *Coburgum* urbem possedisse vnquam, eius quidem rei vestigium, cui insistere possem, nondum reperi. Ad Comites de *Wolfesbach* praedia, quae nostris in regionibus habuerunt, ex *Burchardi* haereditate per ordinem successione descendisse, affirmare non audeo: Comites autem de *Wildberg* Comitum de *Wolfesbach* et de *Henneberg* gentiles fuisse, admodum incerta coniectura nititur. Denique *Eccardum* illum, qui anno 1100. periit, ex *Burchardi* posteris fuisse, aut *Coburgense* oppidum, aliaue his in regionibus praedia possedisse, vnde probabile reddi possit, nondum me videre fateor.

§. VIII.

Supereft, vt de b. ALB. MEN. VERPOORTENNII coniectura addam. De *Coburgo Henrico Suinfurtensi* ab *Henrico II.* Imperatore ablato, atque *Ezoni*, vel *Ottoni* Palatino concessio, supra iam sententiam dixi. Terras *Coburgenses* ante saeculum decimum tertium in *Hennebergensium* diuisionem non concessisse, plane laudo: immo parum abest, quin *Popponem XIII.* primum ex ea familia fuisse affirmare audeam, qui possessiones his in regionibus maiores haberet. Multae quidem chartae veteres, quibus rerum *Hennebergensium* antiquus status illustratur, editae sunt; plures etiam in scriniis priuatorum haectenus ineditae premuntur: tamen in omnibus familiae eius monumentis nullum ante saeculum decimum tertium haectenus indicium occurrit, vnde Comites illos in tractu *Coburgensi* insignia bona tenuisse, solida coniectura oriri posset. Mihi, euoluenti monumenta antiqua, primus ex ea gente, quem possessiones his in regionibus memorabiles habuisse in dubium vocari nequit, *Poppo XIII.* obuius fuit, *Popponis XII.* filius, *Hermani II.* parens. Is anno 1100. in diplomate *Philippi* Regis l), et anno 1106. in diplomate *Otonis*, Ducis *Meraniae m)*, Comes de *Strufe* dicitur, castro, in quo habitare solebat; et cuius rudera hodiernum in monte

con-

l) Apud CYR. SPANGENB. in der *Henneberg.* Chron. B. II. Cap. XXVI. p. 185. sq.

m) Apud LVDOLF. *Symphorem. Consultation. et Decision. Forens.* Vol. II. p. 108.

conspiciuntur prope Rodach oppidum, sed in agro praefecturae Heldburgensis. CYR. SPANGENBERGIUS *n*) quidem, *Popponem* XII. scribens suam cuique filio propriam sedem concessisse, *Bertholdo* in *Henneberg*, *Popponi* in *Strauf*, *Ottoni* in *Bodenleuben*, *Wolframo* in *Nordeck*, castrum *Strauf* ad auita Hennebergenfium bona referre se, ostendit. Sed quot iis in verbis vir doctus errores admiserit, hic iam demonstrare longum foret: faciam autem fortasse alio tempore. Castrum *Strauf* *Poppo* XIII. primus possedisse e Comitibus de *Henneberg* videtur; atque, si suspicari licet, a Comitibus de *Wildberg* emisse, qui ea in regione insignes possessiones habuerunt.

§. IX.

Placet igitur non sine ratione, Comites de *Henneberg* non ante saeculum decimum tertium terrarum Coburgensium dominos factos esse; qui ante illud aeuam ne quidem probari possunt his in regionibus memorabiles possessiones habuisse. Tractum autem Coburgensem ante, quam in Hennebergenfium clientelam perueniret, in fide Ducum, Marchionum et Landgrauiorum Thuringiae fuisse, itidem b. VERPOORTENNIO, eleganter hoc coniectanti, lubens assentio. Nolo iam rationes, quibus, vt hoc faciam, adducor, omnes promere; seruandae enim quaedam aptiori loco sunt: id vnum cogitare lectores in praesentia velim, tractum Coburgensem ad limitem Sorabicum pertinuisse olim; id quod ex iis, quae supra disputauimus *o*), planum esse puto. Iam vero etsi *Henricus Auceps* regia dignitate auctus Saxoniae et Thuringiae, et proinde limitis etiam Sorabici Ducatum sibi seruauerat; mox tamen, siue ab ipso *Henrico*, vt nonnulli volunt, siue, quod magis placet, ab *Ottone* filio, Thuringia cum limite Sorabico Marchionibus permitti coepit *p*). Hos Aduocatos, siue Scultetos suos Coburgi habuisse, negari non poterit; si

B 3

Ger-

n) l. c. p. 184.

o) §. III.

p) Vid. 10. GE. REINHARDI *Antiquitt. Marchionat. vt et Origg. Landgrauiat. Thuring.* §. IX. sqq. unde sua hausit *Job. Seimr. von Salckenstein, in der Thüring. Chron. B. II. Absf. III. Class. II. p. 556. 599.*

Gerhardus et Christianus, Aduocati in Coburg, quos b. HOENNIVS *q)* Scultetos interpretatur, castrum Coburg, non ecclesiasticorum bonorum monasterii Salfeldensis his in regionibus Aduocati fuerint. Sed posterius hoc magis verisimile est. Landgravius porro quum in Marchionum Thuringiae iura successerint, nisi quod maior iis dignitas concessa *r)*; Coburgum nostrum his aequae paruisse, atque ante Marchionibus, in dubium vocari non debet.

§. X.

Quae apud b. VERPOORTENNIVM de terris Coburgensibus, miseris Germaniae temporibus, quibus *Philippus Sueuus*, *Otto IV. Saxo*, et *Fridericus II.* de imperio inter se pugnarunt, ab vno aliquo illorum Imperatorum *Hermanno* Landgrauio forte ademptis, atque Comitibus de *Henneberg* attributis, his autem pactione deinde, inter *Ludouicum* Landgravium, et *Iuttam* sororem eiusque maritum *Popponem XIII.* facta, plene concessis, sequitur coniectura, admodum quidem ingeniosa est; tantis autem difficultatibus laborat, ut subscribere illi omnino dubitem. Expromam rationes, ne temere dissentire a viro olim doctissimo videar.

XI.

Nolo urgere, nullum plane terrarum Coburgensium ab Imperatore aliquo Landgrauio Thuringiae ereptarum, atque Comitibus de *Henneberg* permissarum, antiquis in monumentis indicium reperiri; quum tamen de fatiis, quae Thuringia tempestate ea perpeffa est, legamus apud scriptores veteres; *allodii etiam in Salfeld Archiepiscopo Colonienfi ablati et restituti mentio fiat s)*: quis enim ignorat, multa

- q)* l. c. B. I. Cap. IIX. p. 47. *Gerhardus* anno cIo LXXV. *Christianus* anno cIo cccix. vterque in diplomate vetere occurrunt. HOENNIVM sequitur b. VERPOORTENNIVS, Praef. ad THOMAE librum laudatum p. LXVI.
- r)* Vid. AVCT. *Hist. Landgr. Thuring. Cap. XVIII.* p. 131. apud PISTOR. *Scriptt. Rer. Germ.* Tom. I. ibique STRVVI obseruatio. REINH. l. c. §. XXVI. von Galtensstein l. c. *Class.* III. p. 566. sqq.
- s)* Diploma restitutionis apud NIC. SCHATENIVM, *Annal. Paderborn. Lib. IX.* p. 95. Vide etiam GODEFRIDI *Monachi Annal.* ad ann. 1204. apud FREHER. *Scriptt. Rer. Germ.* Tom. I. p. 375.

multa olim gesta esse, quorum memoriam posteris prodere antiqui scriptores praetermiserunt? Illud autem silentio praeterire non possum, certamina inter Barones terrae Franconicae et Comites de *Henneberg*, anno cDcccx. exorta, viri eruditissimi coniecturam iuuare plane non videri. Ille b. HOENNIVM t) secutus, *Barones terrae* interpretatus est *Barones et status prouinciales satrapiae Coburgensis u)*: HOENNIVS autem verba *Annalium Vesserenisium* ante oculos habuit, quae apud SPANGENBERGIUM x) legerat: *Concertatio ciuilis inter Barones huius terrae, et Comites de Henneberg orta, in qua regio rapinis et incendiis deuastata est.* Sed his in verbis nihil est, quod de tractu Coburgensi intelligi debere, suadere possit. Praeter hoc tractus Coburgensis ea aetate nondum satrapia, eine Pflanze, fuit; neque status prouinciales habuit, quales deinde nactus est. Comites olim et Liberi Domini, quorum aliquot nomina inferius dabimus, his in regionibus *allodia* possidebant, suosque *ministeriales* habebant, quibus praedia certa in feudum concesserant. Postquam vero *allodia* illa Comitum et Liberos Dominorum, cum possessionibus et iuribus Landgrauii Thuringiae in hoc terrarum tractu, ad vnum dominum e gente Hennebergensi peruenerant, ex ministerialibus ad *allodia* illa pertinentibus orti subinde sunt status prouinciales, quales hodie videmus. *Barones terrae* in verbis, ex *Annalibus* monasterii Vesserenis a SPANGENBERGIO allatis, terrae domini sunt, Comites et Liberi Domini y), quales ipsi etiam Comites de *Henneberg* fuere.

§. XII.

t) l. c. B. II. p. 16.

u) l. c. p. LXIX. „Die Baronen und Stände der Coburgischen Pflanze, so der Thüring- und Sächsischen Herrschaft von langen Zeiten gewohnt, auch sich vielleicht durch der gleichen statu reip. turbato ertheilte Decreta Imperatoria ihrer Pflicht, damit sie den Landgraffen in Thüringen verwandt, nicht genugsam besreyet erachteten, u. s. w.“ Cautius HOENNIVS, l. c. „Die Baronen (wie dazumahl die Landes-Besizere genennet wurden) des Coburgischen Landes.“

x) l. c. B. II. Cap. XXVI. p. 186.

y) CONRAD. *Abb. Vrspergens.* in *Chron.* ad ann. 1209. p. m. 312. ed. Bas. 1769. fol. de Ottone Rege: *Contra morem gentis Comites seu Barones vel Principes ad se venientes, rebus et verbis inhonestauit.*

§. XII.

Pactione tandem inter *Ludouicum* Landgrauium, et *Iuttam* sororem, huiusque maritum *Popponem* XIII. de *Henneberg* controuersiam omnem de terris Coburgensibus compositam esse suspicabatur b. VERPOORTENNIUS 2): *Iuttam* omni iure, quod in bonis dotalitiis et paraphernalibus haberet, Landgrauium autem iure, quod ex auita possessione terrarum Coburgensium superesse sibi crederet, cessisse; ea tamen lege, vt ne terrae illae cum caeteris possessionibus *Hennebergicis* coniungerentur, sed haereditatis iure ad *Iuttae* posteros transirent. Posterius hoc inde probabile reddere studet vir eruditissimus, quod, nisi conditio ea pactioni adiecta fuisset, non appareret, qua ratione *Iuttae* nepos, *Poppo* XIV. anno c10 c c x c i. *Hermannum* Brandenburgensem, *Iuttae* sororis filium, haerodem scribere potuisset. Ad haec sequentia velim obserues mihi. I) Si terrae Coburgenses auctoritate Caesarea a Thuringiae Landgrauis ad Comites de *Henneberg* peruenissent; atque, quum *Ludouicus* Landgrauis cum *Iutta* sorore in gratiam rediret, in Comitum iam potestate fuissent; priuignus certe *Iuttae*, *Henricus*, caeterique agnati legem illam de mittendis terris illis ad *Iuttae* posteros, secutamque tractus Coburgensis ad Brandenburgensem familiam migrationem tam aequo animo tulisse vix putari possent. II) Non apparet quid commodi ex *Iuttae* abdicatione bonorum dotalitiorum et paraphernalium, in Misnia et Osterlandia sitorum, ad *Ludouicum* fratrem peruenire potuisset. Eam dotem enim *Iutta* non a parentibus, sed a *Theodorico*, priore marito, acceperat. Praeter hoc discedens e Misnia *Iutta* bona illa dotalitia *Leopoldo*, Austriae Duci, oppignerauerat argenti marcarum millibus duodecim, ea lege, vt *Henricus* filius, quem ex *Theodorico* genuerat, a Duce olim redimeret, aut *Constantiam*, filiam Ducis, vxorem duceret a). III) *Ludouicus* forori *Iuttae* eodem anno, quo *Popponi* illa nupserat, reconciliatus est per Principes quosdam Germaniae; men-
se

2) l. c. p. LXIX. sq.

a) Vid. GE. FABRICII *Orig. Saxon. Lib. VI. p. m. 576.* CHRIST. FRANC. PAVLLINI *Annal. Ifenacens. §. 61. p. 51.*

se nimirum Iulio anni cIo ccxxiii b): annis vero cIo ccxxv. et cIo ccxxvi. habuit adhuc vasallos et ministeriales in Franconia. *Historia de Landgr. Thuring.* ad ann. cIo ccxxv. c) *Lodemicus Lantgravius collegit exercitum magnum et validum de Hassia, Buchonia, Westfalia, Thuringia, Saxonia Orientali, nec non pro parte de Franconia.* Et ad ann. cIo ccxxvi. d) *Vnus ministerialium de partibus Francorum abstulit coenobio Reynhardisborn currum vini cum sex equis. Quod percipiens Lantgravius Lodemicus, scripsit sibi literam, ut indilate redderet, quod iste remittit, et Lantgravius expeditione facta obsedit castrum eius, caet.* Et ibidem, ad annum cIo ccxxvii. *Ludovicus Lantgravius dicitur exiisse cum multo comitatu de oppido suo Smalcaldin: quod oppidum cum haereditate Popponis XIV. ad Brandenburgenses venisse, certum est.* Superiora autem loca, vbi *Franconiae* mentio fit, nostris de regionibus intelligenda esse, inde probō; quod *nouum*, vti terrae Coburgenses caeteraeque possessiones a *Bertholdo X. Hennebergensibus* denuo quaesitae dici solebant, *dominium*, in monumentis vetustis, Latine, *bona sita in terra Franconiae*, Germanice, *das Land zu Franken* appellari consuevit. De cuius appellationis ratione diu multumque cogitanti ita statuendum esse visum tandem est. Tractus Coburgensis regni olim Thuringici pars fuit: secuta deinde magna illa rerum conuersione, a Francis occupatus est: a Sorabis deinde infessus sub Ducis Sorabici limitis tutela esse coepit. Ita iuris Saxonici effectus, ad Marchionum etiam et Landgrauiorum Thuringiae curam pertinuit quidem, sed Francicum nomen, retinuit. Inde autem rationem etiam reddi posse censeo, quare Coburgum nostrum in

b) Vid. HIST. DE LANDGR. THVR. ad ann. 1223. apud IO. GE. ECCARD. *Hist. Geneal. Principp. Saxon. Super.* p. 415.

c) *Ibid.* p. 416.

d) *l. c.* p. 417.

e) *Ibid.* p. 420.

in descriptione Germaniae in circulos inter Saxones censetur; et vacante imperio, Saxoniae Electorem Vicarium agnoscat f).

§. XIII.

Sed redeundum est, vnde digressus paullisper sum. Quaerebamus, quo modo tractus Coburgensis ad Comites de *Henneberg* pervenerit. Expositis et diiudicatis aliorum sententiis, ea de re nobis quid videatur, vt dicamus, superest. Tractus Coburgensis ante, quam in Comitum de *Henneberg* ditionem concederet inter plures dominos, Comites et Liberos Dominos, diuisus erat; qui possessiones suas non iure feudali, sed vt allodia tenebant. Occurrunt in monumentis antiquis Comites de *Wildberg*, qui oppidum *Rodach* cum circumiacente regione, aliaque nostris in terris bona possedisse videntur g): Liberi Domini de *Calenberg*; quorum quidem castrum hodie non superest; locus autem, quo olim positum fuit, antiquum nomen retinet: Comites de *Wolfesbach*; quorum possessiones ea in regione, vbi hodiernum vici *Ober* et *Vnter Wolfspach* sunt; castrum, quod sub nomine *Lauterburg* hodie etiam notum est, fuisse crediderim. Sed Comites illos circa *Moenbroeden* quoque et *Neustadt* insignia bona habuisse, constructum anno MD CXLIX. ab *Hermannis* et *Stercbero*, Comitibus de *Wolfesbach*, monasterium *Moenbroeden* testatur h). De possessionibus *Richezae* Reginae, quae ad monasterium deinde Salfeldense pervenerunt, iam dictum est i). Castrum *Coburg* in Landgrauiorum Thuringiae potestate fuisse, supra disputauimus k). Hanc igitur terrarum Coburgensium conditionem veterem cogitanti non potero absurdi quid

f) Nota est Germaniae satis antiqua diuisio in terras iuris Francici et Saxonici. Inde autem duplicis Vicariatus originem repetere solent viri docti. Vid. PFEFFING. *Vitriar. Illustr.* Tom. I. p. 973. et p. 980. III. MASC. *Princip. Iur. Publ. Imp. Rom. Germ.* III. 8, 7. HANACC. *Primord. Superiorit. Territorial. Saxon.* §. LIV. p. 109.

g) Vide b. HOENN. *l. c.* B. I. Cap. II. p. 10.

h) Vid. b. VERFOORTENII *Præf. laud.* p. LXXIV.

i) §. VI.

k) §. IX.

quid affirmare videri; si eas non simul et vno tempore, sed subinde paulatimque Comitum de *Henneberg* dominio accessisse dixerō. Explicabo hanc coniecturam meam paullo diligentius.

§. XIV.

Ante saeculum decimum tertium Comites de *Henneberg* possessiones nostris in regionibus insignes nullas habuisse; *Popponem* autem XIII. primum e genere sua castrum *Strauf* tenuisse videri, in antecedentibus differui l). Eum *Popponem* igitur millia marcarum argenti duodecim, quae *Iutta* vxor e *Misnia* secum attulerat m), in emendis possessionibus, hoc nostro terrarum in tractu situs, collocasse suspicor. Filium eius *Hermannum* II. patris exemplum imitatum, dote vxoris*), *Margarethae*, sororis *Wilhelmi* Regis, et pecunia, ex venditione bonorum Hollandinorum redacta n), iidem castra atque praedia comparasse; Coburgum autem cum omni iure, quo Landgrauii his in terris hactenus vsi fuerant, ab *Henrico Illustri*, vterino fratre, traditum accepisse existimo o). Ita vero dominium illud sensim exortum esse videtur, quod *die neue Herrschaft* appellari deinde coepit. Inspiciamus rationes, quibus haec sententia nostra nititur.

§. XV.

Itaque terrarum tractum, qui in monumentis antiquis *das Land zu Franken*, item, *die neue Herrschaft*, appellari solet, per *Iuttam Thuringi-*

C 2

l) §. VIII.

m) Vide supra §. XII.

*) Vid. *Comment. de Reb. Hermanni II.* §. VII.

n) Vide „*Literas Hermanni Comitis de Hayneberch*, quibus tam pro se, quam pro „*Bopponem* filio suo, et *Orbone* marchione Brandenburgensi, et *Iutta*, filia sua, „eiusdem marchionis vxore, vendit *Iohanni de Auesnis* quidquid *Margareta* „quondam vxor sua in comitatu Hollandiae habuit. dat. apud Nurenberg, anno „Dom. Incarn. CIO CCLXXXI. mense Augusto.“ apud MARTENE et DURAND, *Thes. Nou. Anecdotor.* Tom. I. p. 1162. sq.

o) Scripsi olim in *Comment. de reb. Hermanni II. Com. de Henneb.* §. IV. Coburgum ad *Hermannum* II. ex paterna haereditate peruenisse: quod iam emendo.

ringicam maxime, sed per *Margaretham* Hollandinam quoque p), ad Hennebergenfes perueniffe, inde poffe colligi puto; quod ab antiquis Hennebergenfium poffeffionibus, *von der alten Herrfchaft*, feparatus, ad *Iuttae*, et deinde *Margarethae* haeredes transmiſſus eſt. Quae *Poppo XIII. Iuttae* vxoris argento emerat, ad *Hermannum II.* filium; atque inde cum nouiter, partim pactione cum *Henrico illuſtri*, vti mox copioſius dicemus, partim *Margarethae* pecunia acquiſitis, ad *Popponem XIV.* atque ab hoc ad *Iuttam* ſororem, filiumque eius *Hermannum Longum*, Brandenburgenfem, ita peruenerunt; vt quaecunq; *Hermannus II.* et *Poppo XIV.* de gentilitiis poffeffionibus tenuerant, non *Iuttae* et *Hermanno* Brandenburgeni, ſed agnatis Hennebergenſibus cederent. Sic *Hermannus II.* *Suinfurti q)* partem, item *Strefenbauſen r)* habuit: quas poffeffiones *Iutta* ex fratris haereditate non accepit. Non ignoro, SPANGENBERGIUM s) atque HOENNIUM t) teſtamentum *Popponis XIV.* effiniffe nobis, quo ille ſororis filium haeredem ſcripferit: ſcio etiam, SPANGENBERGIUM u) addere inſuper, *Popponem* in eam voluntatem, vt teſtamentum eiusmodi conderet, ſororis nepotiſque blanditiis adductum eſſe. Sed alterum imperitum, alterum, vt leniſſime dicam, iniquum etiam eſt. Erant in haereditate *Popponis XIV.* feuda quaedam Herbipolenſia, de quibus mox poſt Comitis mortem certamen inter *Manegoldum* Episcopum, et *Hermannum* Marchionem exortum eſt x). Quis igitur rerum peritus aut Episcopum, vt feuda illa Marchioni permitteret, vaſalli teſtamento obligari potuiſſe; aut Marchionem tam ineptum fuiſſe dixerit, vt ius ſuum ex auunculi teſtamento repetere auſus fuerit? Denique quis

agna-

p) Emtis nimirum pecunia eius poffeffionibus.

q) Vide chartam veterem in *Comment. de reb. Herm. II. C. de Henneb. §. XXII. p. 34. ſq.*

r) Litterae *Hermanni* Comitis, *ibid. §. XXIII. p. 36. ſq.*

s) *l. c. B. II. Cap. XXXI. p. 218. et XXXIII. p. 230.*

t) *l. c. B. I. Cap. IV. p. 26.*

u) *l. cc.*

x) Vid. *FRIESII Würzb. Chron. p. 594.*

agnatos quieuisse, atque obtentis post *Popponis* XIV. mortem iis possessionibus, quas ille ex gentilitiis atque auitis Hennebergenfium bonis tenuerat, contentos fuisse crediderit; si quominus totam *Popponis* haereditatem pererent, non ius et aequum, sed solum defuncti Comitis testamentum obstitisset? Vt autem omnem successionis eius rationem lectorum oculis subiicerem, tabulam genealogicam apposui.

*

Poppo XIII.

Comes de Henneberg

† 1245.

Vxor I. Elisabetha. † 1220.

II. Iutta Thuringica. † 1235.

I.	II.	II.
Henricus	Hermannus II.	Bertholdus
Comes de Henneb.	Comes de Henneb.	Episcopus Herbip.
† 1262.	† 1290.	† 1312.
Vx. Sophia.	Vx. Margaretha, Wilhelmi R. soror.	

Bertholdus	Henricus	Hermannus	Poppo XIV.	Iutta
lin.	lin.	lin.	† 1291.	Vx. Ottonis Longi March. Brandenb.
Schleusing.	Hartenb.	Aschacens.		Hermannus Longus March. Brandenb.
a u c t o r e s				

§. XVI.

Quum anno cIocccxlviij. *Henricus*, Princeps Hennebergiae, *Bertholdi* X. filius, de vita decessisset, nouum dominium per arbitros a *vetere* separatum est: hoc *Ioanni*, *Henrici* fratri, cessit; illud *Iutta*, vidua *Henrici*, et tres eius filiae, *Elisabetha*, *Catharina* et *Sophia*, retinuerunt. In eius diuisionis igitur literis memorabilis locus occurrit, qui supra propositam coniecturam, iuuare omnino videtur. Verba haec sunt. „Darnach sind Wir geschieden und alle Lehen Unserer „Herrschaft, Geistlich oder Weltlich, also das Wir *Iutta* alle die „Lehen

„Lehen leihen sollen, die unser Vater seeliger, der MargGraue von Brandenburg vormahls hat geliehen, und als sie Graf Hermann von Henneberg seeliger vor Ihme verliehen hatte.“ De feudorum *noui dominii* ab illis, quae ad *dominium vetus* pertinebant, separatione quaerebatur. Eius igitur separationis fundamentum quasi ponebatur status *noui dominii*, quum *Hermannus Longus*, Brandenburgensis, atque eius auus *Hermannus II.* Comes de *Henneberg* illud tenerent. Quaesio autem, cur *Poppo XIV.* qui medio tempore habuit, omittitur? cur in *Hermannus II.* subsistitur; si *nouum dominium* ante *Hermannum* penes Hennebergenses iam fuit, neque is primus illud acquisiuit y)?

§. XVII.

Hic vero vellem recensere possem, quae *Poppo XIII.* emerit, etsi ea non adeo multa fuisse crediderim z); quaeue *Hermannus II.* acquisiuerit. Sed defunt monumenta antiqua; sine quibus omnis labor frustra impenditur. Illud in dubium vocari vix poterit, *Hermannum II. Coburgum* nostrum, urbem non minus quam arcem, cum Landgrauorum Thuringiae his in regionibus caeteris possessionibus, primum ex familia Hennebergensi tenuisse. Atque eas possessiones *Henricum illustrem* vterino fratri ex haereditate Thuringica cessisse videri, supra affirmavi; iam autem diligentius dicam. *Ludovicum IV.* Landgrauorum possessiones in Franconia habuisse adhuc, testimonijs fide digni scriptoris in antecedentibus non probavi solum; sed declaravi etiam, quare ea testimonia nostris de regionibus intel-

y) Tamen post *Hermannii* tempora castra nonnulla ad *nouum dominium* emtionis iure accessisse, ex eadem charta veteri discimus: „Auch sind wir geschieden, umb die andern gekauften Besten, da Wir Zutta beybleiben sollen, das ist Sunneburg, das Neue Haus, Süllebach, Scharfenberg halb. Die Woigthey zu Breitungten (ohne Wernshausen, das bleibt bey der alten Herrschafft) darnach Mählberg beeder Herrschafft u. s. w.

z) Castrum *Strauf* ante tenuisse *Popponem*, quam *Iuttam* vxorem duxit, ex iis, quae §. VIII. diximus, planum est. Hoc igitur, vt in medio tractu Coburgensi situm, post *Popponis XIV.* mortem redemisse *Iuttam* et *Hermannum* ab agnatis suspir. FRIESIUS in der *Würg.* Chron. p. 556. ad ann. 1230. castrum *Lauterburg* inter *Popponis XIII.* possessiones numerat. Sed eo tempore *Iuttam* ille in matrimonio iam habuit.

ligenda esse censeam *a*). *Ludovicum* in Thuringiae regimine *Henricus Raspe* secutus est; quem *Hermann*o nostro possessiones Franconicas permisisse, cur suspicari velimus, probabilis ratio nulla adest. *Henrico* anno *1097*. mortuo, bellum de Thuringia inter *Henricum illustrem* et *Sophiam Brabantinam* exortum esse, satis notum est. Nolo iam in vtriusque partis iura inquirere: illud autem lectores mei cogitent velim; *Hermannum* nostrum, *Lutae Thuringicae* filium, *Henrici illustris* vterinum fratrem, non plane nullum haereditatis eius ius habuisse. AUCTOR certe *Hist. de Landgr. Thur.* ad ann. *1097*. ita propinquus fuit ad possidendam terram Thuringiae, de *Hermann*o Comite scribit, sicut *Henricus Marchio*. Coniunctissime autem vixisse eum cum *Henrico* Marchione legimus, neque vnquam bello Thuringico se immiscuisse. Ita certe non solent Principes, vbi alter commodis alterius officere videtur. Quid vero, si *Henricus* transegerit cum fratre? si possessiones illi Franconicas cum omni Landgrauiorum iis in regionibus iure concesserit? nonne eam fratrum concordiam mirari desinemus? Dices fortasse; partem eam possessionum pro communis haereditatis amplitudine nimis exiguam videri. Respondeo; *Henricum*, vt filium *Lutae* natu maiorem, maius sibi sine dubio ius attribuisse; literis etiam *Fridevici* II. Imperatoris, atque Thuringiae Procerum, quibus ipsi de successione in Thuringia cautum erat *b*) nixum forte esse; quae literae Caesareae si etiam, vt nonnulli volunt *c*) suspectae sint, *Hermannum* videri tamen ab *Henrico*, opibus et potentia praeualente, plura impetrare aut non potuisse; aut iis, quae impetrauerat, contentum fuisse. Praeter haec subesse causae aliae potuerunt, quae nos hodie latent. Hoc dubio caret, *Hermannum* terras Coburgenses possedisse, atque ad haeredes transmisisse: qua ratione ipse indeptus sit, si quis probabilius, quam nos quidem facere valuimus, docuerit; non modo non invidentes nos habebit, sed applaudentes etiam maxime.

Super-

a) §. XII.

b) Vid. 10. FR. PFEFFING. *Vituar. Illustrat. Lib. I. Tit. XVI. Tom. II. p. 238. fq.*

c) Vid. Illustr. 10. GE. ESTORIS *Elect. Iur. Publ. Hass. Lib. II. Cap. XIII. §. LIV. p. 107. fq.*

Supereſt, vt rediſſe ſignificemus diem illuſtris Caſimiriani noſtri natalem, iure ſuo nobis feſtum. Eius ſolemnia igitur, vt more maiorum celebremus,

SERENISSIMVM DVCEM,
PATRIAE CLEMENTISSIMVM PATREM,
SERENISSIMVM PRINCIPEM HAEREDEM,

cum

PRINCIPE FRATRE SERENISSIMO,

et

PRINCIPIBVS FILIIS SERENISSIMIS;

aulae item et reipublicae vtriusque proceres, omnes denique, quicumque optimis literis fauent, ad orationem feſto huic diei conſecratam clementiſſime, benigne, beneuoleque audiendam, ſubmiſſe, pie, obſeruanter, et humaniſſime inuitamus. P. P. a. d. III.

m. Iul. A. C. N. CIQIQCCLX.



X 2373343

M.C.

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

h. 118,15

ANTIQUITATES
COBURGENSES

II
Y.c
1949

STRICTIM EXPONIT

ATQVE

ORATIONEM

SOLEMNEM

IN

MEMORIAM

NATALIS CLVI

ILL. GYMNASII CASIMIRIANI
ACADEMICI

H. E. Q. G.

HABENDAM

INDICIT

M. IOANNES FRID. GRVNER

ELOQVENTIAE P. P. O.

ATQVE ALVMNORVM INSPECTOR.

COBURGI

EX OFFICINA FINDEISENIANA